

143

Viro Doctissimo ac celeberrimo Leonhardo Eulero  
 illustris Regiae Scientiarum Academiae Berolinensis  
 membro et Professore Regio Spectatissimo  
 Michael Lomonosoff  
 S. P. D.

Litterae tuae, Vir celeberrime, quibus Lucubrati-  
 ones meas Illustrissimo Praesidi nostro  
 de meliore nota commendare voluisti, ma-  
 gnarum mihi laetitiam attulerunt. Nihil enim  
 magis honorificum magisque opportunum,  
 mihi contingere posse existimo, quam studia  
 mea illi tantopere probari, cujus dignitatem  
 venerari, propensumque in me voluntatem  
 maximi facere debeo, et ab eo quidem, cujus  
 magna sunt in orbe literario et merita et  
 auctoritas. Quam primum igitur ab honoratis-  
 simo collega nostro Seplovio tuum de me testi-  
 monium communicatum perlegerim, tantum  
 in me officium tuum sine maxima culpa  
 praeteriri non posse judicavi. Ut autem huic

tuo beneficio respondeam, non aliud quid invenio,  
 quam ut id, quod singulari humanitati tuae  
 acceptum fero, grata memoria persequar,  
 et quovis loco ac tempore tuam in aliorum  
 laboribus judicandis aequitatem celebrare  
 non desistam. Quamvis autem gratissimas  
 sit mihi haec tua voluntas, multo ta-  
 men erit precundior, si per humanitatem  
 tuam eadem ultro frui licebit. Magnae  
 equidem utilitati futurum mihi non du-  
 bito, si me, quocumque per litteras colloquaris,  
 non indignum esse judicaveris. Consilium  
 tuum mihi perquam honorificum per am-  
 plissimum Schumacherum mihi indicatum  
 magnopere me impulit ad concinnandam de  
 Nitri genesi commentationem, quam pro virili  
 elaboratam ad illustrem Academicam Beroli-  
 nensem pro praemio obtinendo significato  
 tempore mittere apud me statui. Vale, Vir cele-  
 berrime, et studiis meis, ut incepisti, fave.  
 Dabam Petropoli, Die 16 Febr. St. Jul. A. C. 1748.